

folior. n. 575-576


HISTORIAE
ACADEMIAE PISANAE

VOLUMEN III.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

EJUSDEM ACADEMIAE CURATORE.



PISIS)(MDCCXCV.

EXCUDEBAT CAJETANUS MUGNAINIUS
IN AEDIBUS AUCTORIS.

BIBLIOTECA
ORTO BOTANICO
UNIV. PADOVA

simus & rei medicae scientissimus fuisse dicitur. Meruit apud nos ab an. 1653. ad an. 1665. in Patavina vero Academia, in qua studiorum curriculum confecerat, per totos XII. annos, cum mortem obiisset an. 1678. Vel ab ineunte adolescentia magnam de se famam concitavit, ut ad omne doctrinarum genus idoneus esse videretur. Sed libuit ei in medicina praesertim consistere, quam facultatem scriptis etiam illustravit (1). Verum ex nonnullorum titulis conjicies hominem acutissimi licet ingenii minime vidisse quanta illuvie Arabes medici salutarem artem infuscassent. Degenti Patavii nullus defuit honos & propter opinionem doctrinae & propter nobilitatem familiae. Cujus propagandae studio cum uxorem duxisset, moerore adeo contabuisse dicitur, quod careret liberis, ut ex eo non plane senex vitam amiserit.

Gratiam Patavinis habemus, quod nobis binos concesserint medicos doctrina claros Hieronymum Barbatum (2) & Joannem Zanet-

(1) *Scriptis autem:*

Disputationes varias pro circulo Pisano.

Novam methodum recitandi casus in almo Patavino Collegio.

Praelectioniones in L. Fen. I. canonis Avicennae.

Praelectioniones in librum de febribus.

Praelectioniones in artem medicinalem Galeni.

Tractatum de urinis: de morbis particularibus in I. & II. Sect. Aphorism.

Syntaxim medicamentorum omnium tum internorum, tum externorum simplicium & compositorum.

Duos medicinae fontes Chirurgiam & Pharmaciam.

Praelectioniones pro ingressu in cathedras.

Tractatus de formulis medicamentorum usitatoribus.

(2) *De Barbato haec narravit Malpighius (Opera Posthuma p. 4.)* Eo tempore, quo Pisis moratus sum, cum Excellentissimo D. Hieronymo Barbato Patavino convixi, qui ibidem medicam praxin exponebat. Hic Galeni & antiquorum doctrinis addictissimus erat, continuo tamen & familiari e-

tum, quibus non multos post annos tertius accessit Felix Vialius. Atque hic iudicio doctissimorum hominum facile in medicina princeps esse potuisset, neque ex adolescentia excesserat, cum ad nos venit anno 1661. Non cogitationem solum, sed etiam oculos adhibebat advocatos ad noscendam corporis humani fabricam, & vitia, quibus infici solet; & cum de eo referret ad Principem Academiae Curator, affirmavit talem esse medicinae doctorem, tam assiduum in studiis, tam diligentem in obeundo officio, ut nihil ferme illi addi posse videretur. Dum vero eloquentia ornare voluit artem, quam profitebatur, indulget adeo saeculo, ut nihil ejus dictione inquinatius fuerit. Id conjicies ex libello quodam, quem Patavii edidit anno postquam a nobis discesserat (1) (fuit hic annus 1675.) quo gratum animum suum erga Academiam Pisanam, & Pisanos omnes declarare voluit. Deserendi autem illos causa fuit jussum Veneti Senatus, qui ejus opera uti voluit; usus autem praesertim est in re herbaria, cujus peritissimus esse putabatur. Ea propter Papadopolus illum appellavit *virum de Horto Botanico, cum ob diligentem & assiduam demonstrationem Plantarum, tum ob aedificia & ornamenta Horti, auctamque stirpium familiam optime meritum*. Hujus retinuit praefecturam ad annum usque 1719., quo aetatis vacationem flagitavit, ac triennio post

loquio persuasus, novarum rerum indaginem tentare coepit, aliorum potius placita evertere tentando, quam solide propria stabiliendo, ut cui libet ejus scripta pervolvendi patere potest.

- (1) Ringraziamento a Pisa dell' Abate Felice Viali già pubblico Professore nella celebre Università Pisana. *Extant litterae Ferrantis Capponii, quibus Vialio ab Academia discedenti conceditur*, che resti col titolo di pubblico Professore colla facoltà d' intervenire personalmente in collegio, e di tirare gli emolumenti de' dottorati, e dar laurea, & esser capace di tutti gli altri privilegj ed esenzioni, come faceva quand' era lettore provvisoriato.

Obiit xxi. Kal. Febr. cum ageret aetatis annum LXXXIV. Aetate illam antecedeabant ejus cives, quos supra nominavi, Barbatus & Zanettus, sed his ille anteibat doctrinae fama, nec satis scenae & populo, ut dicitur, servisse videtur Barbatus, quod deserta Academia an. 1662., cum efflagitasset, ut iterum sibi locus in ea daretur, minime voti compos factus fuerit. Missionem quoque ab Academia an. 1666. petiit Zanettus, novem post annos quam illi operam tribuerat, diu quidem pro hominis ingenio vivo, alacri, contentioso, & novarum rerum cupido.

Una cum Barbato an. 1655. addictus Academiae fuit Joseph Puccinius Onuphrii nobilis Pistoriensis filius, qui tum nondum expleverat xxvi. aetatis annum. Vel ante hoc tempus se in gratiam commendatione praesertim ingenii & doctrinae medicae insinuaverat Ferdinandi II., cum quo Romae fuit, & a quo nihil non sperare se posse facile novit. Quia salutare judicabat recedere a more medicorum, qui aegros foede multis medicamentis divexabant, pauca & simplicia probavit, nec conabatur aegro medicinam adhibere, nisi prius consuetudinem valentis, & naturam corporis probe cognovisset. Non hoc memoriae traditum esset, nisi iis temporibus talis fuisset medicinae status, ut magna pars hominum medicis suis ad quodlibet audendum paratissimis, non ad salutem, sed ad mortem uti videretur. Docuit Puccinius & fecit medicinam ad annum usque 1681. quo naturae in patria concessit. Cum an. 1663. in matrimonium duxisset Christinam Cortesiam nobilem & castissimam feminam, multos ex ea suscepit liberos, quorum in numero fuit Thomas ille paternorum studiorum diligens adeo imitator, ut Bellinius, quemadmodum Pitcarnio declaravit, neminem habuerit, cui magis confideret, eique praesertim Antonius Cocchius acceptum retulerit quidquid in medicina facienda didicerat. Quidni accusabimus homines de medicina optime meritos, quod minime posteritati servierint, emissis scriptis, quae magno cum labore paraverant?